

iusque Ecclesia statutum adoptet, suumque faciat illud approbando;

c) *proposuit, constituit aut approbavit*: hæc tria referuntur ad modum quo leges ecclesiasticæ inducuntur. Sunt plura in Corpore Juris quæ fuerunt a divina revelatione tradita, et quæ Ecclesia *proposuit*, v. g. definitiones fidei; hæc sane ad jus divinum potiusquam ad disciplinam ecclesiasticam referuntur, et tamen merito in jure ecclesiastico continentur ob propositionem factam ab Ecclesia et penas quibus ea sancivit. Sunt multo plura quæ Ecclesiastica potestas, pro ratione temporum et locorum, *præscripsit*, canones condendo quibus determinavit quid agendum vel omittendum sit. Tandem alia sunt quæ Ecclesia ab initio non præscripsit, sed consensu tacito *approbavit* et inter regulas canonicas enumerari permisit;

d) *ad bonum societatis spiritualis regimen*: quia ad alium finem non ordinatur Ecclesiastica potestas.

4. **Jus canonicum multiplex dividitur:**

a) *Ratione objecti*, distinguitur *jus publicum* a *jure privato*. *Jus publicum* est complexio legum determinantium jura et officia Ecclesiæ tanquam perfectæ societatis; ad *jus Ecclesiæ publicum* referuntur dissertationes de origine, constitutione et forma Ecclesiæ. *Jus privatum* complectitur leges quæ determinant jura et officia privatorum.

b) *Ratione subjecti*, distinguitur in *jus commune* et in *jus particulare*. *Jus commune* dicitur quod viget pro Ecclesia universali et obligat omnes Christi fideles; *jus particulare* est illud quod pro certo loco aut certis tantum personis latum est: ideoque distinguitur in *nationale*, *provinciale* et *diocesenum*, prout latum fuit pro natione, provincia vel diœcesi.

c) *Ratione modi* quo inducitur, dividitur in *jus scriptum* et *consuetudinem*. *Jus scriptum* dicitur illud quod fuit a